



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni
Bredenbachij S. Th. D.||**

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

11. De Ebroino tyranno post mort[em] à dæmonibus ad ollam Vulcaniam
delato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

902 COLLATION. SACRAR.
stia nostra nota sit omnibus hominibus: Do-
minus enim propè est. Et idem alibi, (1. Cor. 7.)
Hoc dico fratres, tempus breue est, reliquum
est, vt qui habent vxores, tanquam nō habentes
sint; & qui flent tanquam nō flentes; & qui
gaudent tanquā non gaudentes; & qui enunt
tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc
mundo, tanquam non vtantur: praeterit enim
figura huius mundi. Dormierunt somnū suū,
inquit Psalmista, (Psal. 75.) & nihil inuenerūt
omnes viri diuitiarū in manibus suis. Ab in-
crepatione tua Deus Iacob dormitauerūt, qui
adscenderunt equos Indicabo tibi o homo, ait
Micheas, (cap. 6.) quid sit bonum, & quid Do-
minus requirat à te: Vtique facere iudicium,
& diligere misericordiam, & sollicitum ambu-
lare cum Deo tuo. Et S. Bonauentura, Tantus
inquit, debet esse in hac mortali vita amor,
tantum orandi studium, ac desiderium perue-
niendi ad hoc, quod factus es; & dolor, quia ibi
non es; & timor, ne non peruenias, vt nullam
laetitiam sentire debeas, nisi de his, quae tibi
auxilium & spem dant perueniendi.
*Ado Viennensis Archiepiscopus in Chronico suo eta-
te sexta, anno Domini 696. De Ebroino tyranno
post mortem à daemonibus ad ollam Vulcaniam de-
lato.*

CAP. XI.

Temporibus Leonis Imperatoris & Ser-
gij Pontificis, quidam Ebroinus à Fran-
cis

cis in eam dignitatem assumptus est, vt maior
 esset in aula regia Quem postea dignitate ead-
 em exutu monasterio Luxouienſi addicunt.
 Porrò Ebroinus magnæ impietatis homo cle-
 ricaturam abiiciens, à Luxouio cœnobio e-
 gressus, mox copiis vndecunque sibi aggrega-
 tis, principatum vi sub Theodorico rege obti-
 nens, in multos episcopos, viros deinde illu-
 stres, & diuersæ conditionis homines crudeli-
 ter sæuit, ablatis facultatibus complures ex il-
 lis contra datam fidem interficiens. Hic ita-
 que Ebroinus crudelitate nimia seuis ab Her-
 menfrido Franco interfectus est. Erat tunc
 temporis vir oculis cæcatus vnus ex illis, qui-
 bus Ebroinus effoderat lumina, in insula Lu-
 gduænsis prouinciæ, quæ Barbara dicitur.
 Qui cum nocturno tempore super ripam Si-
 cannæ fluminis orandi gratia resideret, audi-
 uit nauigantium impetum, & magna vi bra-
 chiorum contra impetum fluminis insurgen-
 tium. Cumque interrogarent, quo nauigium
 illud tenderet, vox in auribus eius percrebuit:
 Ebroinus est, quem ad Vulcaniam ollam de-
 ferimus, ibi enim facti sui pœnas luet. Hoc
 idem vir audiuit ad consolationem sui, vt sci-
 ret quam pœnam persecutores istorum sen-
 tirent.

*D. Gregorius Magnus libr. 4. Dialogor. cap. 30. De
 Theodorico rege Ariano post mortem ad insulam
 Liparim in ollam Vulcaniam delato.*